Primae Linneae Therapeuticae

— 1766. —

PRIMÆ LINEÆ
THERAPEUTICÆ.

QUARUM veritatem, Deo-duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi tueri conabitur, Autor ALEXANDER ROUCHET DUVERGER è Loco d'Arleboſc Diœceſis Viennenſis apud Vivarienſes, Artium Liberalium Magiſter, nec-non jamdudùm Medicinæ alumnus. Die Aprilis anni 1766.

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM - FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXVI.



ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO D.D.

DUBOURG DE St. POLGUE

MARCHIONI DE BOZAS &c, &c, &c.

VIR ILLUSTRISSIME,

Tuum nomen hiſce meis pagellis præfigendum ambivi quidèm enixiſſimè, & benevolus annuiſti. Nèc is ſum qui ſtudere voluerim propriis commodis, te quæſito Mæcenate, hoc tantùm ſtudui, ut innoteſceret virum optimum Nobilitatis genere adhùc minùs, quàm morum ſuavitate, Comitate Commendandum cœptis meis favere, mequè huic viro peroptimo omnimodè

devinctissimum esse. Namquè nihil uspiàm ardentiùs fuit in votis aùt gloriosiùs, quàm placere bonis, & illis decoro mancipio servire. Hæc, quæ palàm profiteor verissima, benignus excipias velim, faxitquè summum numen, ut diù vivas sospes & incolumis faverequè pergas,

VIR ILLUSTRISSIME,

Obsequentissimo & humillimo
Clienti & Servo,

ALEXANDRO ROUCHET DUVERGER.

*Dabam Monspelii die 10ª. mensis
Aprilis anni 1766.*



PRIMÆ LINEÆ

THERAPEUTICÆ.

I.



HERAPEUTICE Medicarum institutionum ultima pars, docet quid Medicus præstare debeat intèr curandos morbos, ut ægrum juvare, aùt ipsi prodesse, aùt saltèm non nocere possit.

Mediocritèr attendenti patebit in tantùm hæc à Medico præstari posse, in quantùm cognoscet apprimè. 1°. Quid sit in ægro servandum, aùt mutandum, ut ille reducatur ad conditiones sanitatis. 2°. Quibus auxiliis servare, aùt mutare queat servanda aùt mutanda in finem propositum. 3°. Quibus cautelis instituí debeat multigenorum auxiliorum administratio.

Indè nascetur ordo, quem sequemur in tradendis istis primis Lineis Therapeuticis.

I I.

Quid ſervandum, aùt mutandum in ægro diſcet Medicus attendendo ad ea, quæ in eo ſecundùm aùt contrà naturam reperiuntur, juxtà illud univerſaliſſimum præceptum: *quæ ſecundùm naturam ſunt, ſervari debent, mutari verò quæcunque contrà ipſam obſervantur.*

Quæ ſecundùm naturam ſunt in ægrotante, detegentur inſpectione, palpatione & interrogatione circà modum, quo in ipſo exercentnr omnes functiones tùm vitales, tùm naturales, tùm animales, quas ergò cunctas animo repoſtas Medicus habeat neceſſum eſt, ut circà illas ſedulus ægrotantem percunctari poſſit. Ut autèm vitetur omnis error, in mentem revocet opus eſt varietates multigenas in exercitio functionum & habitû corporis, quas ſiſtunt ætates, ſexus, conſuetudo, peculiaris conſtitutio ægrotantis ſeù idioſyncraſia, anni tempeſtates, diverſa climata, &c. Nequè etiàm immemor ſit à præſentiâ Medici ſenſibilitèr mutari pulſum, calorem, vultûs habitum, &c. Prædicta conſiderans in ægro qualia ſunt & conferens cum iis, quæ docet Phiſiologia, haùd ægrè perſpicet quænam ſuperſint ſecundùm naturæ ritum.

Eâdem etiàm operâ facilè ſentiet quænam ſint contrà naturæ ordinem & quouſquè illa recedant à conſueto ſtatû ſanitatis. Verùm neceſſaria eſt ulterior indagatio ad determinandum quâ ratione mutanda ſint ea, quæ mutari debere Medicus didicit mòx prædictorum cognitione. Enimverò genus morbi, ſpecies, principia ſeù evidentia, ſeù latentia hunc in finem cognoſci debent.

III.

Genus morbi perſpectum habebitur ex ſymptomatis in ægro concurrentibus ſimùl, collatis cum illis quæ docentur in hiſtoriâ morborum; ſpecies ex quibuſdam ſymptomatis ſuperadditis internoſcetur eâdem hiſtoriâ morborum facem præferente.

Principia morbi pateſcent ex ægro interrogato circà uſum ſex rerum non naturalium, circà prægreſſos morbos, parentes, nutrices, ex obſervatione attentâ ſymptomatum, ſi quæ ſint, variis illis cauſis ſpecificis propriorum, quæ vulgò nomine *virûs* indigitantur. Quæ omnia præcognita ſupponuntur à Medico in artis ſuæ exercitio verſante.

IV.

Hæc quæ mòx propoſita ſunt (II. III.), ſedulò penſitata, quatenùs Medicum do-

çent quænam ſervanda ſint aùt mutanda, proindequè ipſi viam quaſi indicant, quam ſequi debet in morbi curatione, vulgari, nomine *indicantium* appellari ſolent. Indè liquet indicans eſſe id omne, quod in ægro circà ægrum præteritum, præſens aùt futurum in mente Medici parit intellectum rei cujuſvis ſervandæ aùt mutandæ, ut ſanitas reſtituatur. Porrò intellectus ille in mente Medici natus ex indicantis contemplatione, *indicatio* dicitur. Id autèm quod ſuadetur agendum, aùt preſcribendum, ut ſervanda ſerventur, mutanda mutentur appoſitè, *indicati* vocabulo deſignatur.

V.

Dicta perpendenti (II. III.) liquebit ingentem eſſe & vìx àc nè vìx quidèm definiendum indicantium numerum, undè factum fuit, ut juvandæ memoriæ & doctrinæ clarioris gratiâ, ad quatuor capita generatim revocarentur. Nempè indicans *vitale*, indicans *præſervatorium*, indicans *curatorium* & indicans *palliativum*, *urgens* aùt *ſymptomaticum*.

V I.

Indicans *vitale* id eſt, quod docet agenda circà vires vitæ, proùt illæ ſunt vèl ſervandæ, vèl mutandæ, quandò

nempè ſtant infrà, aùt ſuprà modum debitum.

Indicans *prophylacticum* ſeù præſervatorium illud eſt, quod indicat agenda relativè ad cauſas ſeù principia, quæ morbum induxerunt; quæ abigi debent, ut æger præſervetur ab ulteriori noxâ, aùt jam facta faciliùs, aùt promptiùs excutiatur.

Indicans *curatorium* hoc eſt, quod docet præſtanda, ut morbus ipſe ſivè ſymptomaticè, ſivè pathologicè ſpectatus debelletur.

Indicans *palliativum* ſuppeditant varia ſymptomata, ut plurimùm accidentalia morbi, quorum ſi peculiaris ratio non haberetur, vìx àc nè vìx quidèm ſanari poſſet morbus aptâ methodo.

V I I.

Intellectus agendorum ex contemplatione indicantis in mente medici natus, *indicatio* eſt, utì ſuprà diximus (IV.) undè ſequitur totuplicem eſſe indicationem, quotuplex eſt indicans proindequè quadruplicem, indicationem ſcilicèt *vitalem*, *prophylacticam*, *curatoriam* & *palliativam*, quarum ſingularum objectum idem eſſe liquet àc indicantis, cujus contemplatione ſuboriuntur in mente medici.

Porrò indicata , hoc eſt , ea media quorum ope id efficere poſſumus in ægro, quod faciendum eſſe ſuadent indicationes, nomine generaliſſimo *remediorum* aùt *auxiliorum* indigitantur. Hæc auxilia triplici è fonte manant, nempè ex diætâ, Chirurgiâ & Pharmaciâ.

Diætæ vocabulum inſumitur ad deſignandum aptum uſum ſex rerum non naturalium in ægrorum curatione : à quibuſdam, ſed nullâ neceſſitate, limitatur hæc vox ad ſignificandam tantummodò rationem victûs, quoàd cibum & potum ægris præſcribendum. Sub hoc ultimo reſpectû potiſſimùm dividi ſolet diæta in *tenuiſſimam*, *tenuem*, *mediocrem* & *fortem*, quæ tamen diviſio, utì levitèr attendenti patebit, æquè aptari poſſet uſui cæterarum rerum non naturalium.

Habitâ ratione cibi, diæta *tenuiſſima* eſt, quandò omne alimentum interdicitur, & ſola aqua identidèm conceditur ; *tenuis* eſt, quotiès alimentum ſub formâ liquidâ præſcribitur, v. g. ſub formâ juſculorum aùt cremorum dilutiorum ; *mediocris* nomine ſalutatur, quandò permittuntur alimenta mediâ conſiſtentiâ prædita, utì ſunt offæ panatellæ, ova ſorbilia, &c. Demùm diæta *fortis* eſt, quandò ſolidi

cibi admittuntur non quicunque indiſcriminatìm, ſed ſelecti.

Quoàd potûs reſpectum diæta patitur eaſdem diviſiones proùt vèl nullus aùt paucus aùt mediocri quantitate aùt largus præſcribitur. Facillimè transferri poteſt memorata diætæ diviſio, proùt jam monuimus, ad cujuslibet alterius rei non naturalis uſum.

Chirurgia ſuppeditat media, quibus, admotâ manû nudâ, aùt inſtrumentis armatâ, mutationes utiles ad ægri ſanitatem reſtituendam in ipſo induci queunt, ſivè dividendo partes corporis, ſivè illas ad contactum revocando, ſivè quæ ab extrinſeco delapſa ſunt, aùt intùs prætèr naturam genita ſunt exerendo, ſivè partes ipſas aufferendo, ſivè, illis ablatis, ſupplendo, ſivè dimotas à ſuâ ſede ad contiguitatem naturalem reducendo; quæ diverſitas modorum, quibus utilis eſt Chirurgia, effecit, ut illa à præſtantiſſimis in arte viris ad ſex capita generalia revocarentur, propriis nominibus inſignita, nempè *diæreſin*, *ſyntheſin*, *exæreſin*, *aphæreſin*, *proſtheſin* & *diorthoſin*: quæ nomina hìc ponuntur eo ordine, quo fuerunt expoſiti modi, quibus ægris opitulatur Chirurgia.

Pharmacia ſtrictiori ſenſû ſumpta ſeligit, aſſervat, variis formulis miſcet, combinat, præparat diverſis artificiis corpora multigena, quæ ſuppeditant regnum animale, vegetale & minerale, tùm intùs, tùm extùs applicanda in finem diverſarum mutationum utilium inducendarum in humano corpore; quæ collectivé ſumpta conſtituunt materiem medicam, quam docet ſpecialiùs Pharmacologia; hæc Pharmaciæ ſubjecta ſtrictiori vocabulo *Pharmaca* ſeù *medicamenta* vocantur, quorum vires, effectus, doſes & adminiſtratio exponuntur apud Pharmacologos. Inutilis eſt, imò falſa diviſio Pharmaciæ in galenicam & Chemicam.

VIII.

Hactenùs memorata penſitanti patebit, 1°. Indicationibus regi debere medicum in curatione morborum; 2°. Auxilia, quibus indicationibus variis ſatisfacere poſſit, debere eſſe ipſi nota ex prægreſſâ cognitione diætæ, Chirurgiæ & Pharmaciæ lato ſenſû intellectæ, ità ut intèr curandos morbos, hoc ſit medici munus, ut inveniat per indicationes, quid agendum ſit, & intèr varia auxilia ſibi nota, obſervatione & ratione ducibus, ea ſeligat, quæ aptiſſima ſunt ad producendum effec-

tum

tum expetitum, non neglectis cautelis, quibus eorum ufus tutior fieri poteft. Itaquè, juxtà indicationum ordinem, difponi poffunt præcepta generalia ad morborum curationem, quibus primæ lineæ therapeuticæ circumfcribendæ veniunt.

I X.

Ab indicatione vitali ducimus exordium, quæ deducitur ex confideratione virium vitæ, fine quâ iners eft omnis medela.

Porrò vires vitæ æftimari poffunt ex gradû vario fenfibilitatis, mobilitatis, ex pulfû, refpiratione, calore.

Quotiefcunquè vires vitæ, habitâ prædictorum ratione, non videntur recedere à ftatû naturali, indicatur tantùm earum confervatio; fi langueant infrà naturæ modum dejectæ, exfufcitandæ funt, fi verò ultrà confuetum naturæ ordinem intendantur, reprimendæ veniunt. Hìc, cùm agatur de morborum curatione, notabimus per naturæ modum, hìc non tantùm intelligi modum naturæ moventis corpus ritè conftitutum & Phyficè fanum, fed etiam modum naturæ, qualis obfervatione conftanti probatur utilis effe ad morborum curationem, aùt faltèm qualis obfervatur ftare in ægrotante cum hujus

emolumento. Quâ quidem annotatione probè penſitatâ, vitabuntur errores graviſſimi, illâ neglectâ, alioquin ſecuturi, ſic, ut exemplo mens noſtra dilucidior fiat, in morbis febrilibus, ultrà modum conſuetum in ſtatû ſanitatis, intenduntur vitæ vires, ſed intrà certos limites intendi debent, quos ultrà citràquè, docente obſervatione, recta curatio conſiſtere nequit. Hic eſt ergò, quem ſervat natura, tùm in ſtatû ſanitatis, tùm in ſtatû ægritudinis, modus, qui perpetuò à medico ſollicitiſſimè ſervari debet, aùt reſtitui in conſuetum ordinem.

Vires vitæ ſervantur idoneis alimentis & aptâ formâ exhibitis.

In morbis acutis diæta tenuis potiſſimùm præſcribitur, maximè in vigore morbi: & quidem quò morbus acutior eſt & vehementior, eò exactiùs diæta tenuis eſſe debet, imò tenuiſſima.

In morbis acutis, ubi obſervantur calor acer & mordax, cutis ſiccitas, linguæ quaſi flammeæ ariditas, ſitis intenſa, cremores ex oryzâ, hordeo dilutiores anteferuntur juſculis, quibus in ſimili caſû uti, ſi lubet, ea alterari incoctis cichoreo, borragine, lactucâ aliiſquè refrigerantibus plantis, optimum erit. Si verò hæc ſigna

abſuerint, quæ magis utilem ſuadeant uſum vegetabilium memoratorum, tùnc juſcula concedentur: quos cibos quartâ quâlibet horâ exhibitos, ſatis eſſe ad virium conſervationem in acutis commonſtrat experientia.

Declinante morbo jam manifeſtiſſimè, diæta mediocris præſcribetur tantò minùs à tenui diſſidens, quantò proprior adhucdùm eſt morbi ſtatus, tantò magis ad fortem accedens, quantò magis diſtat morbi ſtatus, & functiones recuperant conſuetas in ſanitate conditiones.

In morbis chronicis diæta mediocris eſto, vèl etiàm fortis. Proùt morbi ſymptomata, ægri temperamentùm docent metuendum eſſe à calefacientibus, aùt refrigerantibus. Hæc ſeligi debent alimenta, quæ docente experientiâ, calefaciunt, aùt refrigerant, juxtà vulgarem practicorum loquendi formulam. Paulò pleniùs matutinis horis & meridianis, quàm ſerotinis cibari poſſe ægrotantes monet obſervatio. Cæterùm, in præſcribendâ diætâ chronicorum, memor ſit oportet medicus in iis plurimùm conſuetudinem valere, & ſæpè gratiorem cibum, licèt juxtà artis præcepta generalia minùs convenientem, plùs prodeſſe inſuaviori

cibo, quem ſuaderent generales artis leges, ſic dudùm monente Hyppocrate, cui procûl dubio favent experimenta quotidiana.

Potus in acutis aquoſus ſit, vèl ſimplex, vèl alteratus incoctis, aùt infuſis illis medicaminibus, quæ genium mobi expoſtulare videtur, aqua pulli, decoctum oryzæ, hordei, limonatæ, decocta radicum altheæ, nymphææ levia, infuſa florum malvæ, violarum maximè laudantur, ubi fervent omnia in ægrotantis corpore, ubi ardor quaſi depaſcitur ægrum & ſitis urget vìx ſedanda; infuſa capillorum veneris, ſcolopendrii, decocta radicis graminis, &c. uſurpari ſolent, ubi hæç priora ſymptomata abſunt.

Potus ſitienti ægro concedatur, ſed tantò parciùs quâlibet vice, quantò ſæpius potandus eſt.

In morbis chronicis eædem leges ſerventur, ubi potus medicati præſcribuntur. Verùm in hiſce morbis vinum, potus caffèe & ſimiles quandoquè concedi poſſunt, quibus non locus eſt in acutis. In potû ſicùt & in cibo præſcribendis, ſemper eadem habeatur ratio ſupradicta conſuetudinis, & ſuaviorum aùt inſuaviorum potulentorum.

X.

Si vires vitæ receſſerint à modo naturæ (IX,) id duplici ratione tantùm accidere poteſt, vèl quia ſtant infrà, aùt eriguntur ſuprà modum naturæ.

Si contigerit vires languere dejectas, tùnc probè perſpiciat medicus neceſſe eſt, an exhauſtæ, ut aiunt, an oppreſſæ ſint, quod ultimum ſi locum habuerit, iterùm ſedulò perpendendum veniet quarumnam antecedentium cauſarum energiâ, aùt quocum ſymptomatum concursû, talis virium conditio manifeſtetur. Si vires exhauſtæ fuerint, pratèr remedia diætetica, quæ hactenùs præſcripta ſunt, cedent in uſum ad impendentem virium reſolutionem integram præcavendam medicamenta, quæ titulo cardiacorum inſigniuntur, plùs minùſvè ſæpè exhibita, proùt è re videbitur. Excipe tamen, largarum hæmorrhagiarum caſus, ex apertis potiſſimùm magnis vaſis, tunc enim vèl à cardiacis propriè dictis abſtinendum eſt, vèl intèr ea leviſſima ſeligenda ſunt.

Si vires oppreſſæ fuerint, ſuppreſſiones ſanguinearum evacuationum prægreſſæ ſint, ſi pulſus plenus, mollis debiliſquè fuerit, vaſa per habitum coporis, faciem imprimìs turgida, ſenſibilitas imminuta, ad

ſoporem inclinatio, laſſitudo ſpontanea aùt tenſiva, tunc, ſanguinis miſſione celebratâ, vires redintegrari docuit obſervatio; quod ſi cum virium oppreſſione aliundè perſpectâ, peccatum ſit in usû ciborum nimio, calor non multùm exſuperet naturalem, pulſus inæqualis ſit & intermittens, lingua amareſcat, aùt quocunque alio ſapore pravo inficiatur, ſi vomituritio, pondus ſtomachi, dolores vagi colici obſerventur, tùnc in emeticis aùt catharticis quærendum erit illud remedium, quod ſatisfaciat indicationi vitali, prudentèr tamèn in hiſce circumſtantiis addentur quædam levia cardiaca potionibus emeticis, aùt catharticis, aùt iiſdem cardiacis reficietur æger antè aùt pòſt evacuationem medicamenti effectum; quæ ultima cautio vìx locum habet, ubi opportunè indicationi ſatisfactum fuerit, namquè tùnc, nedùm à dejectionibus, aùt evacuationibus vires minuantur, quìn potiùs evidentèr increſcunt.

Si præ doloris alicubi ſævientis atrocitate vires dijectæ ſint, tùnc dolorem ſedantibus Pharmacis revocabuntur ad debitum modum.

Evidens eſt quod vires ab animi pathemate languentes, auxiliis moralibus

utilitèr ſolummodò recreari poſſint. Hæcquè data exempla ſatis ſint, ad firmandum generale præceptum traditum circà vires oppreſſas rendintegrandas.

Quod ſi vires vitales ſuprà modum erigantur, tùnc reducendæ ſunt ad juſtos limites. Venæ ſectiones plùs minùſvè repetitæ proderunt in morbis exquiſitè inflammatoriis, qui ſi fuerint eryſipelatoſi, diæta refrigerans, demulcens, medicamenta nitroſa, acidula, farinacea egregiè conducent in memoratum ſcopum; uno verbo, attendendum eſt ad principia illius aucti motûs, quantùm cognoſci poſſunt, ad hiſtoriam ſingularem cujuslibet morbi, in quo talis exceſſus reperitur, & exindè exhibenda ſunt, quæ adverſantur principiis cognitis, aùt quæ docentur hiſtoriæ medicæ ſincerâ fide.

X I.

Indicatio prophylactica ſeù præſervatoria medico præbet intelligendum principia morbi tùm evidentia, tùm latentia, ſed ſignis ſibi propriis manifeſta tolli debere, quibus mediis huic indicationi ſatisfacere poſſit, diſcet medicus ex perſpectis illis principiis evidentibus, quæ maximè ex interrogatione ſedulâ circa uſum abuſumvè ſex rerum non naturalium

præſtare poſſunt, eâ generaliſſimâ lege; *contraria contrariis emendari*, aùt *abigi*: cui legi obſequens diætam hanc imperabit, quæ adverſetur erroribus in vitæ regimine anteà factis. Nèc ibi ſubſiſtet indicationis prophylacticæ utilitas; enimverò etiamſi nullus error in vivendi ratione prægreſſus foret, attamen medicum monet omnia externa ità circà ægrum comparari, aùt comparanda venire, ut faveant ægrotantis ſanationi, nec ipſi, quammaximè fieri poteſt, obſtare queant. Dolendum eſt procûl dubio methodicorum, circà hanc indicationem, exactiſſimam ſedulitatem deſiderari ferè ex toto apud pleroſque clinicos, imò omnes fermè recentiores ſcriptores.

Si cauſis mechanicis evidentibus læſum fuerit corpus, ità ut ex hâc læſione morbi curationi nectantur moræ, tunc, ex idoneis auxiliis Chirurgicis ritè applicatis, petentur media, quibus ſatisfieri poſſit indicationi prophylacticæ.

Si ideò ægrotare hominem novimus, quia lethifera vis ingeſti veneni ventriculum laceſſit, indè per totum corpus diffundenda, tùnc ociſſimè ingeſtum venenum foràs expelli, aùt vim ejus retundi debere liquet: expelletur emeticis exhibitis

medici

medici tempeſtivè accerſiti præſcripto, juxtà indicationem prophylacticam: vis retundetur tùm generali, tùm ſpecificâ methodo: aqua tepida ſimplex, aqua pulli, ſerum lactis, lac ipſummet, oleoſa, blanda remedia ſuppeditabunt, utplurimùm efficacia, quæcunque demùm erit vis veneni ſpecifica: ſi nota fuerit hæc vis veneni ſpecifica, & jam docuerit obſervatio hanc vim ſpecificam alio quocunque ingeſto corrigi aùt deſtrui poſſe, tùnc illud obſervatione probatum exhiberi poterit. Quod ſic agens, ità ut corrigat, aùt deſtruat vim ſpecificam hauſti veneni, vocatur hujus *antidotum.* Huic ergò indicationi, præſervatoriæ, dùm ſatisfacere cupit medicus, in mentem revocet opus eſt, quæ priùs perlegere debuit & memoriæ mandare circà venenorum & antidotorum Hiſtoriam, monitus intereà lubricam eſſe nèc ità obviam per antidota medendi rationem, ſecuriorem eſſe & in pleriſque circumſtantiis ſolam poſſibilem, quæ in uſum redigatur, methodum generalem mòx deſcriptam.

Si verò ab extrinſeco vulneribus inflictis vis venenata corpori inhæſerit, tùnc ligaturâ ſuprà partem vulneratam inſtitutâ, hujus ſcarificatione, ſectione, ambuſtione,

huic applicatis propriis antidotis, ſi quæ ſint, aùt medicaminibus cardiacis, antiſepticis impeditur, quantùm licet, nè vis lethifera ſeſe penetret in intima corporis, non neglectis interim medicamentis internis externiſvè univerſalioribus, quæ profuiſſe in ſimili casû docuit experientia.

Si principia latentia fuerint, uti ſunt diverſa virûs genera, propriis ſibi ſignis tùm diagnoſticis, tùm maximè anamneſticis cognita, tùm illa opus erit tolli, aùt retundi methodo cuilibet debellanda adaptata, teſte obſervatione.

Hactenùs progreditur Empirico & dogmatico communis indicatio prophylactica; verùm ultrà tendit Medicus dogmaticus, vitiatas diſpoſitiones corporis partium, quas habet pro cauſis morbi ſymptomaticè conſiderati, pro ipſiſmet morbis Pathologicè ſumptis, emendare, tollere ſtudet ductus indicatione prophylacticâ, dùm ſymptomata expendit à talibus cauſis pendentia, quæ coïncidit cum indicatione curatoriâ, dùm morbos Pathologicorum more conſiderat.

Multiplex itaquè vitium tùm in ſolidis, tùm in fluidis partibus corporis humani ſuis ſignis cognitum removere ſtudet Medicus dogmaticus, ut ſymptomata ex iis

nata mitescant aùt debellentur.

In solidis autèm partibus strictum seù durum & molle, tensum, aùt laxum inprimis considerant. Stricto seù duro, opponunt humectantium, emollientium omne genus tùm internè, tùm externè adhibitum; molli, adstringentia, densantia, vèl roborantia omnigena; tenso, sensibilitatem obtundentia, minuentia, narcotica, hypnotica; laxo, stimulantia, cardiaca quæcunque; quæ omnia componi debent ad varias cautelas, quæ circà usum horumce remediorum docent Pharmacologi.

Fluidas corporis humani partes peccare quantitate, qualitate & motû perhibent. Quantitas aucta seù plethora, diætâ, misso sanguine tollitur, aùt minuitur; quantitas bonorum succorum imminuta, diætâ convenienti restituitur. In habitû cachectico serum luxurians, purgantibus, diureticis, diaphoreticis & sudorificis eliminatur. Spissitudo nimia obstruens meatus, corrigitur attenuantibus & aperientibus dictis medicaminibus. Acre obtunditur diluentibus & demulcentibus. Impetû nimio fluida exagitata, refrigerantibus, nitrosis, acidiusculis, missione sanguinis plùs minùs vè iteratâ compescuntur; languentia segniori motû, excitantur addito

ſtimulantium calcare, attenuantibus, cardiacis & ſic porrò.

XII.

Indicatio curatoria ea eſt, quæ demonſtrat agenda in morborum curatione. Indicata autèm, quæ huic propoſito ſatisfaciunt, ſi Medicinam empiricam excolamus, tantummodò perſpecta haberi poſſunt, ex hiſtoriâ ipſiſſimâ morborum tùm genericè, tùm ſpecificè conſideratorum, ſeduliſſimè cavendo ut, quæ ſimilia videntur primo & rudiori intuitû, re verò ipſâ diſſimilia ſunt ulteriori & peritiori ſcrutinio probata, ſecum invicèm perperàm confundantur & unâ eâdemquè methodo, cum ſummâ ægrorum pernitie tractentur. Ubi morbi nondùm obſervati occurrent, tùnc ſolius analogiæ filo regetur indicatorum inquiſitio, tùnc prudentiſſimâ tarditate ſeſe geret Medicus in præſcribendis auxiliis curatoriis, aſſidebit ægro frequèntiùs & curioſiſſimè perveſtigabit quælibet in ægro aùt circà ægrum apparentia, notabitquè ſeduliſſimè effectus quoſcunque variis remediis adhibitis, factos ſenſibus obvios. Hiſce præceptis obtemperans clinicus, ſi ſempèr juvare nequeat, ſaltèm nunquàm, aùt vìx unquàm nocebit.

Quod ſi magis placuerit ex doctrinâ dog-

maticorum medendi præcepta hausisse; tùnc latentia principia morbi tùm fluidis, tùm solidis partibus inhærentis, morbum ipsummet varium expiscari dabitur per signa, quæ Medici rationales tanquàm principia adscribunt variis illis principiis & morbis. Quibus retectis, medela afferetur tùm experentiâ, tùm ratione ducibus. Porrò quinam sint illi morbi ad quot potissimùm capita generalia revocentur, quibus mediis seù indicatis aufferri credantur, Pathologorum rationalium more, jam suprà, brevitèr & quantùm exigit instituti nostri ratio, in præcedenti paragrapho exposuimus.

XIII.

Indicatio palliativa seù urgens aùt mitigatoria prospicit sedationi aùt mitigationi variorum symptomatum in morbi cujusvis decursû obviorum nèc tamèn ipsi essentialium, saltèm ut plurimùm.

Ex hâc indicationis palliativæ traditâ ideâ sequitur, illam respicere nonsolùm symptomata accidentalia, sed etetiam quandoquè essentialia, sic indicatione palliativâ impellimur ad sedandum dolorem nimis atrocitèr sævientem in inflammatione, & quidèm hisce mediis adhibitis, quæ neutiquàm proficerent in morbo inflammatorio juxtà consuetum naturæ ordinem progrediente :

ſic in febre ardente ſitis inextinguibilis moleſtiam anxietatis plenam minuere debemus variis auxillis , quæ nullo modo per ſe conferunt ad ipſius morbi curationem , dolor tamèn inflammationi eſſentialis eſt & ſitis inextinguibilis febri ardenti.

Maximoperè prætium eſt attendiſſe in praxi medicâ ad hanc indicationem palliativam ſeù urgentem ; enimverò hâc incautiùs neglectâ , impedietur recta diagnoſis , morbi progreſſus , incedendi ordo minùs perſpicuè diſtinguentur , prognoſis ergò certa nulla eſſe poterit , tribuentur ipſi morbo , quæ ad ipſum minùs pertinent ſymptomata multigena , indè confuſio in mente Medici naſcetur , & incerta medendi methodus.

Symptomata gravia quæ peculiarem attentionem Medici exigunt & propriam medelam expoſtulant , ab iis quæ ſunt ipſi morbo curando propria , facilè diſcernet Medicus , ſi morbi curandi hiſtoriam probè animo repoſtam habuerit , ex hâc enim probè perſpectâ , quiſnam eſſe debeat ſymptomatum ordo , progreſſus , varietas , quantùm homini datur , diſcere poterit. Symptomata autèm quæcunque inſignia in ægro apparent contrà conſuetum naturæ ordinem , ex hiſtoriæ fide cognitum , cer-

tus habebit pro ſymptomatibus accidentalibus peculiari modo debellandis, hunc in finem, ut illis ſedatis, natura ad normam ſolitam reducatur & curatio inſtitui poſſit juxtà leges indicationis curatoriæ anteà propoſitas.

Intèr hæc ſymptomata accidentalia, quæ ſingulari medelâ & promptâ quidèm indigent, recenſentur potiſſimùm dolor atrox, ſitis perpetuum potum anxiè imperans, animi deliquia, ſyncope, ſymptomata hyſteriæ aùt affectûs hypochondriaci, ſubverſiones quaſi totius humanæ machinæ à gravibus animi pathematis, moleſtâ agrypnia.

Dolor atrox narcoticorum ſic vulgò dictorum uſum tùm externum, tùm potiſſimùm internum expoſtulat; ſitis mitigatur globulis marmoreis intrà os volutatis, linteis aquâ ſubtepidâ, quandoquè frigidâ madidis ori interno admotis & ſæpiùs renovatis, potû frequentiùs, ſed parciùs quâlibet vice exhibito nitroſo, acidulo, mucilaginoſo, &c. animi deliquium ſolvent aſperſa faciei frigida, naribus admotis aceto aùt liquoribus fragrantibus, aromaticis aùt ſale volatili fœtis, cardiacis internè aſſumptis. Iiſdem auxiliis ſyncope tolletur. Symptomata hyſteriæ aùt hypochondriaci

affectûs cognoscenda 1°. Ex historiâ illorumce morborum, 2°. Ex interrogatis ægro aùt adstantibus utrùm æger sit illis morbis obnoxius nèc nè, mitigabuntur potionibus anti-hystericis vulgò dictis. Quæ ab animi pathemate nata esse symptomata resciverimus, ea, pacato animi pathemate, excitatâ, si fieri possit, contrariâ mentis affectione, mitescent. Tandèm agrypniæ tollendæ directè conferent medicamenta hypnotica, aùt auxilia moralia, si agrypnia, utì sæpè fit, metû aùt alio quodam animi pathemate producatur.

XIV.

Hactenùs dictum est de iis quæ medicum docere possunt, tùm circà peragenda inter curandos morbos, tùm circà media generaliori intuitû delineata quibus hæc peragi possint; verùm, uti jam notavimus (I,) ultrà tendat opus medicus necessum est, varias siquidèm cautelas in remediorum administratione perpendendas undequaque perspicere debet, antequàm securus indicationem quamcunque obviam aptatis mediis adimplere satagat.

Porrò illæ cautelæ potissimùm hauriri debent ex scientiâ *coindicantium*, *permittentium*, *contraindicantium*, *correpugnantium*, *repugnantium seù non permittentium.*

Indicans

Indicans esse diximus (IV.) id omne, quod in ægro aùt circà ægrum deprehensum docet quid in eo servandum aùt mutandum sit, ut sanus fiat; quæcunque in eodem ægro observata conspirant ad suadendum idem agendum, *coindicantia* dicuntur, quæ verò in ægro aùt circà in ægrum perpensa non vetant quominùs id agatur quod ab indicantibus & coindicantibus agendum suadetur, *permittentia* vèl *non repugnantia* dici solent. Sic in morbo inflammatorio suadent vacuari debere sanguinem, seù indicant & coindicant inflammatoria symptomata vividiùs in parte sævientia, vires vitæ, ut ità loquor, effrenes: idem permittit fieri sub illis circumstàntiis consideratio morbi hujus viribus constantem, minimè quâcunque causâ præcedente, debilitatum aggredientis.

Id omne quod in ægro deprehensum dissuadet id agendum esse, quod agendum suadetur ab altero, habito respectû ad alterum, dicitur *contraindicans*, & quæcunque observata circà ægrum dissuadent idem, quod contraindicans, dicuntur *correpugnantia*, quæ verò fieri vetant, quæ ab indicante suadebantur, *repugnantia* simplicitèr aùt *non permittentia* vocantur. Sic os alieno sapore molestatum, crusta

diverficolor linguam obducens, ructus, naufea per fe indicant ægrotanti vomendum effe, & proindè vomitionem excitantia medicamina venire adhibenda, fed in eodem ægro febris acuta, epigaftrii dolor, tenfio, ardor periculum vomitionis excitandæ fummum demonftrant, diffuadent ergò vomitionem, contraindicantquè vomitoriorum ufum; vires vitæ debiles, in animi deliquium proclivitas confpirant cum præcedentibus, ad diffuadendam vomitionem, funt ergò correpugnantia; hernia, fi fortè occurreret in eodem ægro, repugnans effet feù non permittens.

Ex modo dictis patet medicum ad quid agendum in curatione morborum, determinato auxiliorum genere, tandiù ancipitem hærere debere, quadiù non exactâ lance ponderaverit vim indicantium, coindicantium, permittentium, contraindicantium, correpugnantium & repugnantium.

Indè liquet maximam, quæ in medendo occurrit, difficultatem petendam effe ex pondere æquilibri indicantium & contraindicantium. Quam difficultatem ut, quantùm licet, arceat medicus ad fequentia monita fuam componat agendi rationem neceffum eft.

1°. Indicationi vitali ſemper ſatisfaciendum eſt, poſthabitis quibuſcunque aliis, tùm indicantibus, tùm contraindicantibus, &c.

2°. Ubi plures ſunt indicationes & contraindicationes, quibus omnibus ſatisfacere ſimùl impoſſibile ſit, tùnc maturè circumſpectiſſimequè æſtimandum eſt quibus indicantibus aùt contraindicantibus maximè faveat indicatio vitalis, & illis præ reliquis auſcultandum eſt.

3°. Si ſperandum ſit, fore ut indicatio poſſit adimpleri ſimùlquè præcaveri malum, quod contraindicatio metuendum facit, tùnc eâ quaſi mediâ viâ incedendum eſt. Sic ubi circumſtantiæ in ægro obſervatæ emeſim neceſſariam eſſe ſuadent, quam diſſuadet virium debilitas, cardiaca prudentèr emeticis maritata omnem abſolvunt paginam.

Circà diætam ægris præſcribendam non poſſunt ſatis commendari præcepta *Hyppocratis* in aphoriſmorum ſectione primâ conſignata, illudquè præterea in ſectione ſecundâ legendum, *cibus paulò deterior ſed ſuavior eſt præferendus meliori ſed ingrato.* Quod quidem præceptum ideò notamus expreſſè, quod maximi licèt momenti, tamen aliis minus, à pleriſque clinicis animadvertitur.


Circà purgationem, imprimis quæ per primas vias fit, iterùm monemus ut *Hyppocratis* consiliis in aphorismorum sectione primâ potissimùm congestis medici obtemperent, quæ quidèm adeò firmis innituntur fundamentis, ut plures etiàm clinicos videre sit, qui dùm se profitentur Hyppocraticæ doctrinæ minimè obsequiosos, intereà vî experientiæ coacti ut ut inscii, more Hyppocratico se se gerunt. Quibus mòx dictis tantò faciliùs fides adhibebitur, quantò accuratiùs distinguetur purgatio propriè dicta è profundis corporis cogens ad intestina, quæ valentioribus tantùm medicaminibus obtineri potest (qualia ferè sola Hyppocrati innotescebant,) distinguetur, inquimus, à purgatione minùs propriè dictâ, primas vias simplicitèr averrente, è profundis corporis, vèl nullomodò, vèl alliciente potiùs quàm cogente ad intestina, quæ medicaminibus parùm stimulantibus, èccoproticis peragitur, quæ has ob rationes multò minùs turbare valent naturæ motus, quæ quidem sæpissimè inutilis, tamèn vìx noxia evadere potest etiàm præscripta juxtà leges apud præstantissimos recentiores clinicos receptissimas.

Insummà circà præscriptionem auxilio-

rum multigenorum, iis utendi tempus; formulas varias consulatur observatio antè actorum in historiâ medicâ consignatorum, observata conferantur intèr se sedulò, usui quotiès nihil ægrotantibus noxii præ se ferre videtur, plurimum concedatur, analogia supplere conetur, quod directa nulla commonstrat observatio; ratiociniis primam ultrà secundamvè consequentiam ab experimento, quin ab observatione deductis, perquàm rarò, nèc nisi circumspectissimâ meditatione prægressa confidatur: namquè experimentum periculosum, imò ipsam quandoquè experientiam falacem esse, perpetuò meminisse oportebit & juvabit.

FINIS.

QUÆSTIONIBUS PHYSIOLOGICIS RESPONDERE CONABITUR.



ARGUMENTABUNTUR

R.R. D.D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R.D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHÉS.